

II. Propter proximum, qui te offendit. Primo, quia modicum tibi nocuit et nocere potuit. Quidquid tibi abstulerit, Deum et salutem auferre non potuit. Centum denarii sunt omnes tuæ injuriæ; et quid hæc respectu decem millium talentorum, quæ tu debes Deo? Sed graviter læsit famam tuam? Esto; non læsit saltem corpus tuum. « Fertur B. Constantinus (imp. Magnus nomine) inquit S. Chrysost. hom. XX. ad pop. Antioch. effigie sua quandoque lapidata, multis ipsum instigantibus ad supplicium de auctoribus contumeliæ sumendum, et dicentibus, quod omnem ipsius faciem saxis convulneraverint, manu faciem palpan, et leniter ridens dixisse: Ego vero nunquam vulnus in fronte factum video, sanum quidem caput, sana vero et facies tota. Illi vero reveriti et confusi ab hoc iniquo destitit consilio. » Notandum in imperatore dictum, qui ante baptismum in intimos etiam truculentus, postmodum vero Christianus in ipsos etiam majestatis reos tam erat mitis.

Sed, inquit, quærent insuper vitam et fortunam meam. Bono animo esto; parum tibi nocere possunt nec plusquam permittat illis Deus, qui nocituris istis bestiis dente prius excutit, ne tibi quantum volunt, nocere possint. Audi Davidem Psalm. III. *Non timebo millia populi circumdantis me. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, (Heb. in maxilla) dentes peccatorum contrivisti.* Quod etiam in se expertus est: dum sæpius ereptus fuit e dentibus Saul, hostis sui. Quemadmodum ergo simiæ apri, lupi, quibus dentes acutiores sunt contracti, parum nobis nocere possunt: ita et inimici nostri. Hac ratione Deus confregerat aliquando dentes illi Laban, qui persequens Jacobum machinabatur ei malum; unde dicebat: *Valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris tui heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius, Gen. XXXI.* Hoc eodem argumento David nolens sedare hostilem Saulis animum, dicebat: *Quem persequeris rex Israel? Quem persequeris? Canem mortuum persequeris et pulicem unum, I. Reg. XXIV. q. d. non possum tibi valde nocere, quoad Deus non permittit; quid ergo me persequeris? Canis mortuus et edentulus sum quomodo te mordere possum contra Dei voluntatem? Sane canes generosi contemnunt latratum catellorum, et quasi non audirent, prætereunt; quia norunt eos sibi nihil aut parum valde nocere posse. Narrat Ludovicus Granatensis, p. I. symboli, c. XXII. audivisse se a viro fide digno, qui magna cum admiratione spectavit canem venaticum transeuntem juxta litus maris. Quem cum allatraret quidam catulus, undique aggrediretur, ille tamen im-*

motus permansit: catulus autem ita importunus fuit, ut canis patientiam fregerit. Itaque arreptum mordicus catulum tandem in aqua demersit, quoad suffocaret, quasi indignum censisset, in quem arma dentium suorum converteret, ex quo apparet, verum esse illud Senecæ, l. III. de ira, c. XXV. « Proprium est magnitudinis veræ non se sentire percussum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit, sic illi ingenti scopulo fluctus assultat. Qui non irascitur, inconcussus injuria persistit; qui irascitur, motus est. Non ergo injuriam pati sed injuriam facere; vel nescire pati, malum est. » Sic ille, profecto sapienter et christiane.

Secundo, quia offensa illa non tam a proximo tuo procedit, quam aliunde. Primo enim, procedit ab offendenti peccato, velut instrumento; quemadmodum ergo pater cum audit filium arcu vel sclopeto damnum alteri dedisse, arcum imprimis ei aufert et confringit, vel in fornacem abjicit, non filium: ita nos peccatum potius, quo proximus nos læsit, detestari debemus, quam proximum. Sane si tu ipse sclopeto exploso manum læsisses, sclopetum utique abjiceres et frangeres, non teipsum punires. Huc forsitan respexit David, cum Sauli dormienti nocere in persona noluit, sed lanceam tantum abstulit, I. Reg. XXVI. quia nimirum illa fuit, qua nitebatur olim Saul ipsum configere, I. Reg. X. de instrumento ultionem sumpsit, non de Saule.

Secundo, procedit sæpe a diabolo velut instigatore. Audi S. Hieronymum in Ps. LXXI. « Si te impius persequitur, inquit, scito quia equus est: sed equus diabolus: iste currit, hinc lancea sue percipit: iste ducitur calcaribus, et invitatus insanit, hic agit et stimulat. » Quid tibi nunc agendum putas? Contra equumne pugnabis, an potius contra equitem? Memento Eleazarum illum (I. Macch. VI.) gladium infixisse elephantum, cui insidere putabat regem; et elephantem quidem occidisse, sed ab eo collapsio obtritum esse. Ita sibi exitium parant, qui inimicum impugnant: dæmon potius impugnandus est, inimici insector. « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, ait ex apostolo S. Aug. ser. LVIII. de temp. sed adversus principes et potestates et spiritualia nequitiae, id est, adversus diabolum et angelos ejus, quia et quando patimur homines importunos, ille instigat, ille inflammat, ille tamquam vasa sua movet. Attendamus ergo duos hostes, quem videmus, et quem non videmus: hominem videmus, diabolum non videmus; hominem diligamus, diabolum caveamus. »

Tertio, procedit materialiter a Deo, qui te per

inimicos exercere et purgare vult, uti de se testatur David, cum lapidibus impeteretur et malediceretur a Semei, II. Reg. XVI. *Dimittite eum, ut maledicat, inquit. Dominus præcepit ei, ut malediceret David, et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Quo etiam pertinere videntur illa verba Ps. XXXVIII. *Opprobrium insipienti dedisti; me obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Dic mihi: Si quis pugnum alterius arripere vel gladium, et illo te percuteret; cui imputares ictum? Nonne illi, qui alienam manum vel gladium levavit ad te verberandum? Scito igitur Deum esse, qui te per inimicum vexat, ut tu ictus sapias. Ita enim David, Ps. LXXXVIII. dixit Deo: *Exaltasti dexteram deprimentium eum.* Tace igitur et obmutesce, cum opprobrium audis, Deus est, qui te percutit, non inimicus tuus: *Quoniam tu fecisti.* Ipse exaltavit dexteram eorum, qui te percusserunt. Hinc Sennacherib dicitur *virga furoris Dei, Isa. X. hinc Attila flagellum Dei, Tamerlanes iram Dei sese appellarunt; quia hisce instrumentis castigavit Deus orbem.* Sciebat sane Job liberos, camelos et oves sibi ablatas a vento, Chaldæis et igne, et potissimum a dæmone harum cladum auctore: nihilominus tamen dæmoni eas non adscripsit, sed Deo, qui per dæmonem, Chaldæos et elementa exercere ipsum voluit. Non ait: Dæmon abstulit, sed: *Dominus abstulit,* quia nimirum, ut S. Augustinus notat, sciebat sibi a dæmone ne pilum quidem auferri posse sine Dei voluntate.

III. Propter teipsum, quia tibi ipsi longe plus nocet, quam inimico, si ignoscere non velis. Qualem enim te exhibueris erga inimicum, talem se et Deus exhibebit erga te, uti docet hodiernum evangelium. De S. Leone papa I. scribit Baronius, anno Domini 452. quod cum peroraret coram Attila monens, ut urbi parcere et Italia excedere vellet, Attilam mox paruisse; quod diceret, vidisse se aliquem alium (fuit is S. Petrus) sacerdotali habitu divinum quid præ se ferentem minantemque sibi mortem, ni postulatis Leonis acquiesceret. Idem tibi, qui ultionem in hostem paras, contingit ne dubita. Stat retro inimicum tuum Deus, qui gehennam tibi comminatur, nisi ignoscere velis veniam petenti. Sic enim: *Et Pater meus cælestis faciet vobis, inquit Dominus, id est, non ignoscet vobis, sed in carcerem gehennæ vos detruet: adhuc tu ulcisci perges? Quid facis, homo?* inquit S. Chrysost. hom. in Matth. *Non sentis te adversus teipsum (dum scilicet non dimittis) mucronem adigere, et sententiam ac munus Domini revocare?* Quare eveniet tibi, quod Bajazeti Turcarum regi, quem in bello captum, cum ad se duci jussisset Tamerla-

nus Tartarorum imperator, et juxta se in throno magnifico considerare fecisset, interrogavit modeste et adjuravit, ut aperte diceret, quid tibi devicto, si forte reportasset victoriam, facere decrevisset; respondit mox superbe Bajazetes: *Ratum mihi erat, mittere te in caveam ferream, et cum ludibrio per loca omnia circumducere atque ad conscendendum equum dorso tuo quasi scabello uti.* Tamerlanes vicissim in iram consurgens, nec tantum factum ferre sustinens: *Ex ore tuo iudico te, inquit, idem plane superbia crudelitasque tua sentiet, quod mihi destinaverat.* Itaque inclusum caveæ ferreæ, secum undique duxit et pro scabello adhibuit. Refert Chalcondylas, l. III. Idem prorsus iudicium sustinebit is, qui inimicis suis machinatur malum: sentiet, quod alteri fecit, aut facere saltem voluit.

Quare videat unusquisque, qualem habere iudicem velit, placatum an iratum; detque operam, ut dum sol hic lucet, deponat iracundiam et vindictæ appetitum, ne occidat ei sol justitiæ, et occidat æternum.

CONCIO II

DILECTIO INIMICORUM SUADETUR EXEMPLIS TOTIUS UNIVERSI.

I. Exemplo cæli. — II. Exemplo elementorum. — III. Exemplo plantarum. — IV. Exemplo bestiarum. — V. Ethnicorum. — VI. Exemplo Hebræorum: 1. Moysis. 2. Davidis. 3. Josephi. — VII. Exemplo ss. angelorum. — VIII. Exemplo Christi. — IX. Exemplo Dei Patris.

THEMA.

Nonne ergo et te oportuit misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Matth. XVIII.

Pueris legere incipientibus præberi solet tabella litteraria, in qua difficiliora vocabula figuris exprimuntur, ut facilius addiscantur. Eandem adhibuit industriam præceptor noster Christus, tradens nobis evangelium suum; e quo omnis generis virtutes et disciplinam christianam velut pueri addisceremus. In hoc inter alia multa, difficile verbum est: Remitto inimico; longe adhuc difficilior: Diligo inimicum. Reperiuntur enim homines, qui extrema potius pati, imo vitam perdere malunt, quam hæc verba pronuntiare. Quapropter Christus in hodierno evangelio difficili huic verbo figuram appingit cælestis Patris liberalissime remittentis: et præterea servi, qui remittere noluit, severissime castigati: *Ut quod per simplex præceptum teneri ab auditori-*

missus Andronicus in occurrum Diogenis imp. eundem captum, nigraque veste indutum super mulum, humanæ miseriæ spectaculum factum toto illo perlongo itinere, perduxit: quem et iussit novus imperator effodi oculis, sed vulneribus ex suffossione oculorum non curatis, cum ejus caput intumisset, vermibusque seateret, graveolens, horribilis visu, ut humanum ostentum expositus omnium oculis, finem vivendi fecit, luens hic penas, ne æternas incurreret; nam de ipso illud idem Curopalata memoria dignum prodit: In talibus, inquit et tot malis nullum maledictum protulit, neque aliquid nefarii locutus est sed Deo gratias agere perseverabat, casus æquo animo ferens, » ita Bar. Didicit ergo hic imper. christianus vel ab ethnico principe gratias pro maledictis, beneficia pro injuriis reddere, quod prius ipse norat.

VI. Exemplo Hebræorum; inter quos enituit imprimis Moyses, qui virorum omnium mitissimus ingrato populo suo, a quo murmuraciones et obtreccationes multas audiebat, et parum a lapidatione aberat, bona pro malis reddidit, ut cum pro ipsorum incolumitate enixe Deum rogavit, ac precibus quasi tenuit, ne perderet illos ob patratam idololatriam. Inde factum, ut Hebræi plus eum ob mansuetudinem diligerent, quam ob facta et portenta admirarentur. Nam ut de ipso scribit S. Gregorius, lib. XXVII. moral. cap. VII. *Charitas in sancto ejus pectore ex persecutione ignoscebat magis*, ac velut per antiperistasin se intendebat, ut se intendit calor, cum a frigore circumstante oppugnatur. Idem pro Maria sorore, quæ graviter ipsi detraxerat, ideoque a Deo lepra castigata erat: *Clamavit ad Dominum, dicens: Deus, obsecro, sana eam*, Num. XIII. Sed quis præclarior Davide in dilectione inimicorum? In ea enim tantum excelluit, ut ipsemet hostis ejus infensissimus, Saul hoc ipsi testimonium dederit: *Iustior tu es quam ego, tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala*, I. Reg. XXIV. Non solum enim ipsi semel iterumque deprehensio pepercit, sed cohibuit etiam et repressit sexcentos viros, ne irruerent in ipsum, ut ibi legimus. Posthæc ejus eadem acerime vindicavit in puero Amalecita, necnon maxima cum indignatione accepit, et lamentabili carmine planxit, II. Reg. I. denique, cives Jabes Galaad, qui eum honorifice sepelierunt, mire dilaudavit, II. Reg. II. idemque fecit filio suo Absaloni, a quo tam dira passus fuerat, II. Reg. XVIII. sollicitus nimirum erat vir secundum cor Dei, de salute æterna illorum, quos de ea graviter periclitari noverat. Nihilo his inferior Joseph, qui quanta a fratribus recepit mala,

tanta eis rependit bona. Eorum enim scelus lacrymis quasi abluit, dum per singulos ploravit, et moerentes ob injuriam ipsi irrogatam blandissime consolatus est, Gen. XLV. *Osculabatur singulos*, ait S. Aug. serm. LXXXIII. de temp. et per singulos flebat et irriguis lacrymis paventium colla perfundebat itaque odium fratrum charitatis lacrymis abluibat. Cumque ipsi veniam peterent ac supplicarent, ne memor esse vellet injuriæ acceptæ, rursum flevit, dolens anxiam fratres et reconciliationi suæ diffidere, Genes. L. magis sentiens ipsorum dolorem et penitentiam, quam suam injuriam, qua ab ipsis olim venditus et male habitus fuerat.

VII. Exemplo ss. angelorum, maxime custodum quorum oculos, peccatis, ineptiis et sordibus nostris quotidie offendimus, interim tamen ab eis fovemur, juvamar, custodimur et promovemur ad salutem. Quam plurimi mortalium nunquam recordantur eorum, nedum ut pio aliquo opere eos venerentur: et tamen illi preces nostras aliaque opera bona ferunt ad conspectum Dei, ut divinos nobis favores referant. Legimus in vitis pp. lib. VII. cap. XIII. de Joanne Thebæo discipulo abbatis Ammonis, quod seni huic ægrotanti duodecim annis servierit perquam studiose; senex autem nunquam blando placidoque verbo eum allocutus sit. « Senex ergo moriturus coram aliis senibus tenuit manus ejus, et dixit ei tertio: Salveris, salveris, et tradidit illum senibus, dicens: Ille non homo est, sed angelus, qui tot annos mihi infirmanti serviens nec bonum sermonem audiens, feci tamen obsequium cum magna patientia. » Recte suum ministrum angelum nuncupavit, quia angelorum est indesinenter nobis servire, cum interim tamen eos vix aliquando salutemus vel una oratione, raro aut nunquam honoremus, imo sæpe illorum multo tempore obliviscamur. Quapropter etiam S. Stephanus visus est persecutoribus suis habere vultum angelicum, Act. VI. quia nimirum ipsis pro malis bona reddidit, orationem pro lapidibus, quod solent facere angeli. Quam ergo suo exemplo invitant nos ad dilectionem inimicorum!

VIII. Exemplo Christi, qui ut nobis ingratis et rebellibus delicta condonarentur, tradidit semetipsum in hostiam Deo Patri, immolandam in altari crucis. Atque ut Pater hostiam istam pro nobis acceptare vellet, rogavit etiam in cruce supplex: *Pater dimitte illis*; excusans eosdem, quò modo poterat: *Quia nesciunt quid faciunt*. Notandum vero quod hoc fecerit eo ipso tempore, quo indignissima quæque ab hominibus patiebatur, deinde illis fecerit, qui veniam non

petebant, imo potius contrarium moliebantur, ut sibi videlicet non ignosceretur; siquidem volebant rei esse sanguinis Christi: *Sanguis ejus super nos*, exclamant, q. d. transeat in nos vindicta, si injuste moritur. Videte certamen inauditum: insaniunt isti in medicum et repellunt eum, interim tamen medicus a cura non desistit. Hæc expendens S. Augustinus, sermon. CLXX. de temp. proponit nobis Christum in exemplum, his verbis: « Attende igitur magistrum tuum et Dominum Deum non in cathedra sedentem, sed in ligno pendentem, circumspectis undique turbis inimicorum, et dicentem: Pater, ignosce illis. Numquid tunc Dominus pro rogantibus rogavit, et non potius pro insultantibus et interficientibus? Numquid deseruit medicus officium suum, quia phreneticus sæviebat? Ignosce inquit, quia nesciant quid faciunt. Attende ubi hoc fecit, in cruce, non in cælo: semper namque in cælo cum Patre, in cruce autem pro te homo, ubi se imitandum præbuit omnibus, pro te emisit ipsam vocem, ut ab omnibus audiretur. Nam potuit orare pro illis in silentio, sed tu non haberes exemplum, » ita Augustinus. Similiter S. Bernardus, tract. de pas. c. VIII. « Fecit bonus doctor, inquit, quod jusserat: orat non solum pro persequentibus, sed etiam pro occidentibus se, dicens: Pater ignosce illis, reonde in thesaurum cordis tui hoc verbum, ut quotiescumque sæviant inimici, memoriam abundantiae suavitatis Jesu valeas eructare, hunc elypeum contra inimicorum insultus opponens. » Idem exemplum proponit nobis apostolus, Eph. V. cum paulo ante monuisset, ut mutuas offensiones alteri condonarem: *Ambulate in dilectione*, inquit, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Hunc odorem suavitatis, emisit ad Deum hæc hostia, quando in cruce immolata suavissima illa oratione: *Pater ignosce illis*, placare eum studuit.

IX. Exemplo Dei Patris. Nonne Deum offendimus omni flagitiorum genere? Nonne ejus nomen blasphematur inter nos quotidie? Et tamen interim: *Solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*. Pensate quantum sit beneficium solis et pluviarum. Quanto moerore afficeremur, si vel per unius diei spatium non rediret ad nos sol? Quid si per annum integrum? Certe quando sub Ezechia sol decem horis retrogressus est, adeoque confecit diem tringinta duarum horarum, ut vult D. Aug. et S. Dionysius Areopag. territi hoc portento Babylonii, miserunt legationem ad Ezechiam, causam inquisituri, II. Par. XXXII. Quid tunc cogitasse putatis antipodas,

quibus sol viginti horis tardius solito illuxit? Quæ calamitas foret, si per annum unum vel duos, nulla pluvia caderet? Quanta miseria et fames erat, quando tempore Achab annis tribus et medio nunquam pluit? Quæ ibi lamenta hominum, vagitus parvulorum, mugitus et balatus bestiarum fame pereantium? Et hæc quam facile nobis etiam Deus inferre posset? Sane ea mereamur. Et tamen solem suum quotidie super nos oriri facit; cum interim tenebras amemus et opera tenebrarum. Destillat nobis pluviam tempore suo, cum interim nos tot fere execrationes et blasphemias ad Deum mittamus, quot ipse ad nos guttas in pluvia demittit. Præter remittit nobis innumera debita nostra, quoties penitemus et veniam rogamus, uti in hodierno evangelio audimus. Certe si Deus jure militari aut civili nobiscum agere vellet, sicut duces cum militibus aut nos cum servis nostris agere solemus, statim ad primum scelus, omnia elementa, suum nobis obsequium negare deberent: terra non sustineret, sol non illustraret, aer non refrigeraret nos. At nequaquam sic agit nobiscum Deus, sed expectat etiam rebelles; et quamdiu sæpe? Aliquos certe usque dum ingens debitum decem millium talentorum contrahant; et interim vitæ necessaria eis ministrat, nec subtrahit creaturas suas. Ad hæc supplices ad se venientes per contritionem, statim recipit in gratiam, et omne debitum remittit eis. Hoc exemplum suum proposuit ipse Samueli, cum spreto ipsius imperio; Hebræi regem more gentium sibi postulerent. Ne enim ægre ferret hunc contemptum Samuel, quem postulatio hæc contristarat, ait Dominus: *Audi vocem populi in omnibus quæ loquantur tibi, non enim te abjecerunt, sed me*, I. Reg. VIII. q. d. cum ego hoc illorum postulato magis offensus sim quam tu, exemplo meo dimitte eis hanc injuriam, neque graviter ferto te ab ipsis repudiatum; siquidem et ego dimitto, concessurus ipsis regem. Denique, hoc exemplum proponit nobis apostolus ad Eph. V. qui cum præcedens caput his clausisset verbis: *Donantes invicem* (injurias sicut et Deus in Christo donavit vobis, mox seq. e. subjungit: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi* (charissimi enim filii sunt, qui patri quam simillimi) *et ambulate in dilectione*. Quando igitur nos Christiani videmus exempla totius pene universi, in hanc unam sententiam omnia conspirantia, ut offensæ remittantur, imo et beneficiis compensentur, quid superest nisi ut nos quoque velis atque remis in hanc sententiam eamus? Desinat ergo Christianus conqueri in posterum, quod ipsi, ut putat, soli lex ista præscribatur; quo modo enim soli? Servant eam